



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Lvcas Evangelista. 18. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

gratis eversum ibis? quin etiam improbè illam ex animo tuo imaginem deles, quam suâ manu, cùm te finxit, Numen depinxit? Sed quid ajo? dudum hanc orcus deformavit, & suis te coloribus pinxit. Hoc unum audi. Aut fallor ego (imò non fallor) aut, si terræ filius bellum porro cælis movere pergis, si sedibus suis Superos deturbare laboras, fulmen etiam tu senties. Erat hoc furiosum laceffere: Itaque flagrantem inclamat tyrannus: his lacerrum in vincula, inde inter lapidum imbres ad infamem mortem raptari jubet. Sed ecce adest, qui ex itinere, amputato altero pede, Divum cælo transmittit; profuitque ad compendium viæ, pedem abjecisse. Ex *Surio & Menau.*

S. LVCAS EVANGELISTA,
18. Octobris.

LV CAM nobis Antiochia Syria peperit, educasse verò ipsæ in sinu suo Musæ videntur. Nam literis & Ægyptiis & Græcis omnibus excultus, arte insuper medicâ clarissimus habitus est. Sed nihil hæc omnia ad illa, quæ in Christi scholâ grandis discipulus didicit, sui Deique agnitione. Fertur etiam socius Cleophæ fuisse in Emaus eunti, tunc cùm ambobus à morte **CHRISTVS** se comitem junxit, hospesque
O O non

non a symbolo mensæ accubuit. Post
hujus verò, quem in caelos duxit, trium-
phum, ubi in orbis partitionem cum ce-
teris Apostolis venit, fidus magno Pau-
lo in omni itinere, quin adeò in vinculis
Achates, Christi primò vitam mor-
temque, tum, quæ Apostoli alii fortiter
fecerunt, perscripsit. Abiit è vivis cum
annum ageret quartum supra centesi-
mum, & tunc etiam memor medicum
se esse, agris vel è tumulo medicinam,
oleum salutiferum propinavit. Illud
penè memoriam fugisset. Primus fuit
LVCAS, qui MARIAM felici manu
depingeret, in eà tabellâ, quæ etiam
hodie miraculis lucet, dignus profes-
sus, cujus penicillum Mariani omnes imi-
tentur, idem in animis faciendo, quod
LVCAS in tabellâ fecit. Ex 10. 1. Bar.

S. IVSTVS M. 18. Octobris.

DOmi cum parentibus IVSTVS
puer, at in servitute frater Iustini-
anus agebat. Igitur nec sinus jam ma-
tris, nec oscula patris arridebant IV-
STO, quæ dividere cum Germano non
licebat. Multis proin lacrimis perla-
det tandem patri, secum ereptum è ser-
vitate fratrem eat. Itur. Ambianum
venitur. Hic etsi IVSTVS fratrem nun-
quam vidisset, inter multa tamen man-
cipia continuo agnoscit: indicium cog-
nato intus sanguine faciente. Sic dimi-